

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE
VERA
DYSENTERIÆ
INDOLE ET CVRATIONE,

QVAM
ANNVENTE SVPREMO NVMINE,
CONSENSV
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA,
SVB PRAESIDIO

DN. D. HERMAN. PAVLI JVCHII,

SACRI PALATII CÆSAREI COMITIS, FACVLT. MED. SENIORIS, PATHOL.
ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORIS PRIMARIJ,
SERENISS. SAXON. DVC. VINARIENSIS ET GOTHANI CONSILIARIJ
AVLICI ET ARCHIATRI, NEC NON ACAD. CÆSAR. NAT. CVRIOS.
COLLEGAE,

PATRONI ET PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO GRADV DOCTORIS

SYMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS
ET IMMVNITATIBVS

LEGITIME IMPETRANDIS,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIT.

AVCTOR ET RESPONDENS

CHRISTIANVS SIGISM. TIPPOLDT,
DOEBELENSIS MISNICVS.

HORIS CONSVETIS IN AVDITORIO MAJORI
COLLEGII MAJORIS
DIE XX. AVGVSTI MDCC XLIV.

ERFORDIAE, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

Pathol. spec.

416,102

ubi spec 1121

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a header or title.

DE

Large, faint, illegible text block in the upper middle section.

Second line of faint, illegible text below the first block.

Third line of faint, illegible text.

GRAFFIOB FACULTATIS MEDICAE

Large, faint, illegible text block in the lower middle section.

Fourth line of faint, illegible text.

Fifth line of faint, illegible text.

Sixth line of faint, illegible text.

Seventh line of faint, illegible text at the bottom of the page.

VIRIS
PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS
NEC NON CONSULTISSIMIS,
DOMINO
DOCTORI,
DOMINIS
CONSULIBVS,
DOMINIS
PRÆTORIBVS,
CÆTERISQVE
SENATVS OSSITIENSIS
ASSESSORIBVS,
PRO SVA DIGNITATE ET ORDINE
SPECTATISSIMIS,

NEC NON
DOMINO
JOANNI SIGISMUNDO
FLADIO,

AVLÆ ET PROVINCIARVM PHYSICO, MEDICINÆ
DOCTORI ET PRACTICO OSSITIENSI
FAMIGERATISSIMO,

VT ET
DOMINO
M. CHRISTIANO
FREGIO,

PASTORI ECCLESIAE LAMBERSWALDENSIS
PLVRIMVM REVERENDO MERITIS-
SIMOQVE,

MAECENATIBVS AC PATRONIS
SVIS MAXIMIS,

DISSERTATIONEM HANC SVAM INAVGVRALEM
DEVOTISSIMA MENTE

D. D. D.

CHRISTIANVS SIGISMVNDVS TIPPOLDT.



Q. D. B. V.

PROOEMIUM.



Inter tot horribiles & fere innumeras morborum cohortes, quibus miseri mortales, per multa secula miserrime excruciat, denique ab his vita sunt privati, omni jure non ultimum sibi vindicat locum intolerabilis & summis plena periculis *Dysenteria*, quæ quando sine febre, (quod tamen rarius observatur,) decurrit, non tantum præ se fert periculi, quantum illa portendit, quæ cum febre, potissimum ardente, est complicata, utpote quæ sæpius cum morte terminatur. De hoc ergo perquam fontico morbo, auspiciis Summi Numinis, in præsentis specimine inaugurali paucis acturus sum: Licet enim complures jam jam prostent de hac materia Dissertationes, ut merito idcirco verear, ne B. L. nauseam excitem; ast, hoc non obstante veniam me impetraturum esse confido,

A 3

fido,

fido, inprimis quoniam specialis saltem illa circumstantia ad hoc propositum suscipiendum me commovit, quod, cum Pausæ, civitate non incelebri Varisciae, Praxin exercerem, atque per integrum biennium Dysenteria ibi grassaretur, occasio mihi obtigit, tunc singularem quandam methodum & specifica quaedam remedia, divina sub benedictione, magno cum ægrotorum emolumento adhibendi, unde etiam hæc examini publico in præsentiarum subicere volui. Faxit Supremum Numen, quod supplex ardentissimis veneror precibus, ut hi Conatus in laudem Summi sui Nominis, & in salutem solatiumque proximi adflucti cedant quam felicissime.

CAPVT I.

Definitionem verbalem & realem Dysenteriae sistit.

§. I.

Quamvis neminem, qui in arte Medica leviter versatus est, latere possit, quem morbum sub *Dysenteria* nomine comprehendamus, adeoque *inutile & superfluum* esset, multum temporis ejusdem definitioni verbali tribuere velle; morem tamen hactenus receptum sequi, & brevibus tantum enodationem hujus vocabuli sistere lubet.

§. II.

Dysenteria vocabulum origine græcum est, componiturque ex voce *δυσ*, (quæ si in principio denominationis cuiusdam posita est, difficultatem designat, uti SCALIGER in *Commentar. in Aristot. Histor. Animal. Lib. X. c. 43.* docet: Hoc vero loco concursus alicujus malignitatis indicat) & ex voce

ἴτε

ἄντερον, intestinum, quæ locum monstrat affectum, teste GALENO *Method. medend. cap. 2.* & tandem ex verbo *ῥέω* fluo, secundum BLANCARDVM in *Lexico medico.*

§. III.

Latini itidem in forum suum receperunt hanc denominationem, etsi huic tam infesto mortalibus malo adhuc alia cognomina imposuerint. Sic CELSVS *Lib. IV. c. 15.* illud vocat *tormina intestinorum cum ulcere*, quia totus intestinorum tractus, gravissimis excruciatu doloribus, materiam purulentam ex stali provenientem excernit. PARACELSVS & WALTHERVS in *Sylva Med. pag. 488.* Dysenteriam sub nomine *morbi dissoluti* intelligunt, dum non solum vires, sed etiam intestinorum tunicas quasi dissolvit: Ab Excell. WEDELIIO in *Amanitatibus Mater. medic. p. 235.* vocatur *Hypercatharsis spontanea*, cui accedit D. FASCHIVS Professor quondam Jenensis, in Disputatione Anno 1684. de Dysenteria habita. Reliqua Synonyma, aliis Auctoribus solennia, sunt sequentia: *cruentum alvi profluvium, fluor vel fluxus dysentericus, exulceratio & excoriatio intestinorum*, & denique juxta mentem magni illius Practici Anglicani SYDENHAMII, *febris ad intestina conversa & detrusa*; Germanis vero audit *die rothe Ruhr*, *die Darm = Blut = Ruhr*, *das rothe Wehe*. Reliqua autem cognomina huic morbo imposita, ita fere omnia sunt comparata, ut partim indolem designent hujus affectus, partim etiam gravitatem illius insimul indicent, unde eadem sicco nunc pede præterire lubet.

§. IV.

Ratione Homonymiæ, hoc vocabulum a variis Auctoribus in vario sensu fuisse assumptum, animadvertimus. Præprimis vero antiqui Historiæ Medicinæ Scriptores in laxiori & diffusiori sensu utebantur hac voce: Sic enim HIPPOCRATES, Medicorum parens, omnia leviora intestinorum tormina appellat *Dysenteriam*. Huc referri potest WILLISII *Dysenteria incruenta*, de qua in *Pharmacologia rationali. pag. 194.* mentionem facit, item omnes affectus sub titulo *Dysenteria* antiquioribus temporibus comprehensi, tametsi in iis nulla sanguinis particula

ticula in conspectum venerit; Item ille *fluxus dysentericus*, qui Anno 1625. Lugduni Gallorum grassatus fuit, de quo *Johannes a la MONIERE* in Tractatu peculiari fusius egit. Specialiori autem sensu Medici antiquiores omnem cruentum alvi fluxum cum torminibus, a materia acri excitatum, nominabant Dysenteriam, vid. *CLAVDIVS* in *Consult. medic. Lib. XLII. pag. 476.* Hæc ergo tandem ad nostra tempora delata est opinio, quam ergo jam retinere, & ex ea insimul affectus hujus realem definitionem suppeditare nunc lubet.

§. V.

Dysenteria est frequens, valde torminosa & mucido-cruenta alvi dejectio, commotionibus febrilibus magis vel minus acutis, perpetuo conjuncta & ab intestinorum exulceratione inducta & exasperata.

§. VI.

Fusiolem vero hujus mali definitionem ex collectis morbum hunc stipantibus symptomatibus facile etiam possumus concinnare. Dysenteria est frequens & cruentum alvi profluvium, nunc fæcibus, nunc pituitosa, vel purulenta materia & in fine sanguine sincero permixtum. Inprimis autem, si morbus ex contagio epidemico, vel endemio promanat, accedunt insultus febris acutæ & periculosissimus maxime dolorosus tenesmus, qui tanquam individuus comes mature se prodit. Porro initium hujus mali fit modo frigore, modo calore, quæ symptomata statim ventris tormina insequuntur. Permagni cruciatus & indefinens exonerandi alvum conatus simul sentiuntur, & quoties alvus deponitur, depressio intestinorum, immo omnium viscerum molestus descensus notatur; Tunc etiam facile inflammatio, interpolatis horripilationibus, accedit, frequentissimaque alvi dejectio se se sistit profluvio materiæ nunc pituitosæ, nunc cruentæ, nunc spe dejectionis inani. In conspectum veniunt excrementa spumosa, pituitosa, sanguine commixta, quandoque etiam plane albicantia & spumosa, nulloque cum sanguine remixta, quem morbum Germani sub titulo *die weisse Ruhr* comprehendunt. In his dejectionibus quandoque apparent
striae

Striæ sanguineæ, vel fibræ quasi carneæ, & in fine carunculæ. Interim lingua evadit subalbida & spissa mucilagine est obducta, imo sub augmento æstus nigra & sicca conspicitur, tuncque plerumque Aphthæ, vel Angina subsequuntur. Vires sunt prostratæ & appetitus in totum dejectus, succedunt anxietates cum cardialgicis affectibus, & crebrioribus conatibus vomendi, inprimis si maligna febris Dysentericæ juncta fuerit. Nonnunquam hæc materia acris & corrodens ita firmiter in intestinis quasi infixæ hæret, ut prius vires prorsus exhauriantur, quam materia ista peccans removeatur ex intestinis. Tandem in progressu & si morbus ad statum pervenit, maxima sanguinis sinceri nulloque cum mucositate remixti copia effunditur. Sæpius in fine Petechiæ & Purpura erumpunt, & tandem huic morbo coronidem imponit Gangræna intestinorum, quæ pressa pede sphacelus sequitur, qui universam hanc tragœdiam lethali exitu claudit.

CAPVT II.

Subjectum hujus affectus monstrat.

§. I.

Si tanquam epidemicus consideratur hic morbus, statim tunc per se patet, quod omne mortalium genus invadere, neque circumstantias ætatis, sexus & aliarum rerum respicere soleat. Interim tamen non est negandum, quod corpora, multis impuritatibus scatentia & saburra fermentativa acris repleta, magis obnoxia sint huic malo, quam alia, quoniam miasma malignum & contagiosum tanto citius, propter similitudinem particularum, his corruptis humoribus innidulari, & perquam difficulter ab iis separari potest. His etiam accenseri debent ii, qui temperamento cholericæ & sanguineo præditi sunt. Quanquam autem tales frequentius, quam alii a Dysenteria infestentur, tamen periculosius semper decumbunt faciliusque succumbunt adolescentes & juvenes, ob majorem dispositionem ad sanguinis ebullitionem, & facilius oborientem inflammationem;

B

quem-

quod emadmodum etiam experientia testatur, quod senes, superata Dysenteria, plerumque in febrem hecticam, vel fluxum heaticum inciderint.

§. II.

Quod autem sedem mali propriam, seu specialem attinet, hanc potissimum tenuia fistunt intestina, quanquam etiam aliquando tota fistula intestinalis adficiatur. Quomodo vero cognosci queat, an speciatim jejunum, ileum, aliudve intestinum labe tali infectum sit, docebitur in Capite V. ubi signa diagnostica recensere videmus. Quæritur proinde etiam à quibusdam, an totus intestinorum canalus in hoc morbo exulceratione adficiatur? Dubitant equidem complures de possibilitate, alii vero iudicium suum plane suspendunt. Mihi interim videtur ejusmodi exulceratio omnium intestinorum non plane impossibilis esse, quanquam illa non in universam illorum substantiam se se extendat, sed in superficie interiori saltem subsistat, insuperque rarior, & sicubi evenit, semper periculosissima sit.

CAPVT III.

Differentiam Dysenteria exhibit.

§. I.

Quoniam præter Dysenteriam varii quoque alii in Praxi occurrunt morbi, quos etiam dejectiones cruentæ & satis torminosæ comitantur, omni studio in id incumbendum erit, ut differentiam Dysenteria ab aliis fluxionibus sanguinis, per alvum contingentibus, bene cognoscamus, eamque ob causam nunc paulo exactius eorum indolem exponere placet.

§. II.

GALENVS, *Lib. III. de Symptom. causis. cap. II. & Lib. II. de loc. aff. cap. 5.* itemque RIVERIVS in *Praxi med. Lib. X. cap. 6.* & SENNERTVS, quatuor cruentæ dejectionis species constituunt: 1) Quando propter læsam aliquam partem corporis, aut intermissam aliquam exercitationem, aut sanguinis eva-

cuatio-

cuationem impeditam per alias partes, puto, per nares, uterum, &c. sanguis abundans & orgasmice commotus, per venas meseraicas ad intestina detruditur, & per alvum evacuat. 2) Si propter Hepatis imbecillitatem aquosus sanguis, instar loturæ carniū, per alvum excernitur, quod contingit in fluxu hepatico. 3) Tertia autem species his verbis describitur: Quando sanguis melancholicus & quasi splendens, qui propter diuturniorem in Hepate, aut Liene, restagnationem quasi adustus adparet, & cum corrupto humore bilioso commixtus est, per alvum exit, quem affectum fluxum cholericum vocant. 4) Quarta denique species hæc est: Si brevibus quibusdam intervallis ægri materiam purulentam sanguineam fecibus permixtam ejiciunt & quidem cum dolore torminoso & borborygmis in ventre, quæ symptomata ulcus intestinorum arguunt.

§. III.

De prioribus illis tribus in præsentiarum nequaquam acturus sum, sed ultima saltem, quæ proprie est Dysenteria, huc spectat. Interim tamen neque sub hac, neque sub illis intelligo benignam istam resolutionem hæmorrhoidum cæcarum, de qua Celeberr. BOERHAAVE in suis *Apherismis de cognosc. & curand. morb.* §. 963. mentionem facit, dicens: *Solvitur Dysenteria blanda suberuenta biliosa.* Si vero aliqua adhuc superest morbi species, quæ Dysenteriam satis graphice simulat, est sane eruptio illa hæmorrhoidum torminosa, quæ tamen rarius occurrit, vid. VILLONOVANVS in *Breviario Lib. II. pag. 26.* Possunt tamen facile à se invicem distingui hi affectus mediante accuratiori circumstantiarum collatione. Observamus enim in fluxu hæmorrhoidali, sanguinem interdum post, sæpius ante, vel cum fecibus exire, ita tamen, ut hic ipse sanguis purus, distinctus & separatus ab alvi excrementis conspiciatur. Dein feces etiam naturalis sunt consistentiæ & excretio illa sanguinis corpori potius levamen, quam debilitatem adfert, ita quidem, ut sub majori etiam ejusdem augmento melius se se habeant talia subiecta. Tertio etiam stata certaue tempora sæpius servant

hæmorrhoides, dum vel menstruis, vel æquinoctialibus, vel annuis periodis recurrunt, quemadmodum totum hoc negotium ill. STAHLIUS multis exemplis undique sparsis illustrat, Celeberr. Prof. JUNCKERUS vero in *Conspectu suo Medic. Theor. Pract. Tab. XI. p. 67.* casum specialem sistit. Econtrario Dysenteria est frequentissima alvi dejectio, ubi sanguis sincerus, & quidem in majori quantitate, cum alvi fecibus plerumque permixtus, egeritur. Concurrunt tunc communiter summæ angustix, quæ ægros valdopere debilitant & facile funestum exitum inducunt. Dysenteria præterea potissimum ex contagio generatur, aliisque periculosis symptomatibus semper est stipata, de quibus vid. Cap. I. huj. Dissertat. §. VI. Tandem quoque certis occurrit temporibus, mense nimirum Augusto, vel etiam, licet rarius, circa medium Julii. Cavendum ergo est Medico, ne in his casibus dubiis in errorem prolabatur. Pari quoque ratione ab ulcere intestinorum inveterato, & à scirrho proveniens Dysenteria ab ordinaria probe discernenda est, siquidem de illa optime BOERHAAVE *cit. loc. §. 975. pag. 221.* scripsit: *Etiam illud malum, quod le mal de Paris est denominatum, & tantum Parisiis Lutetiorum periodum suam absolvens funestam, nihil aliud fuit, quam diarrhœa cruenta.* Hanc igitur ob causam ad illas non nisi species, quæ improprie vocantur Dysenterix, hic referendus est morbus.

§. IV.

Progredior nunc ad gradus differentiarum ipsamque differentiam specificam Dysenterix. GALENUS, *Lib. 6. de loc. aff. cap. 2.* varios Dysenterix gradus profert. Primum gradum, vel initium ejusdem his describit verbis: *Si materia fluida pinguis, spumosa & purulenta cum pauculo sanguinis mixta deponitur.* Secundus gradus est, *si cum illa materia supra descripta interna intestinorum superficies tenuissima, vel pars membranosa, ejicitur.* Tertius vero, *si membrana ipsa intestinorum integra, vel caruncula exeunt, quæ secundum Hippocratis effatum reddunt miseram ægrorum conditionem.* Primum gradum GALENUS vocat *fientem Dysenteriam*, duos vero ultimos gradus *factam*, de quibus
vero

vero cum jam satis omnibus ea cognita sint, plura nunc adducere non lubet.

§. V.

Quod vero attinet differentiam hujus morbi specificam, hujus intuitu notandum est, quod primo sit differentia inter morbum epidemicum (qui plerumque ex contagioso miasmate venenato provenit, & omnes homines indiscretim invadit,) & inter morbum indolis specificæ, qui sporadice in uno alteroque subjecto, vel individuo occurrit. Dein etiam quandoque Dysenteria, (rarius tamen,) sine febre occurrit, quæ etsi satis dolorosa sit, curatu tamen facillima deprehenditur, hincque *benigna* vocatur; interdum vero cum febre acuta complicatur, eaque est crudelissima & dicitur *maligna*. Tertia etiam distinguitur in *humidam* & *siccam*, quæ differentia ex quantitate parva vel magna ejectæ materiæ est desumpta. Tandem quoque quarto huc pertinet castrensis Dysenteria, quæ iis, qui castra sequuntur, ex diætâ prava, potissimum vero ex aëre contagioso, accidere solet. Hæc imprimis summam malignitatem, febrem ardentem Hungaricam, anginamque tere ordinarie comites habet, ideoque morbis epidemicis summo jure accensenda est, imprimis cum ad tantum vehementiæ gradum quandoque assurgat, ut totas etiam regiones depopulaverit & devastaverit, prout SENNERTVS hoc accidisse Anno 1614. & 1637. in Praxi sua medica testatur.

CAPVT IV.

Causas Dysenteriæ rimatur.

§. I.

Tradita nunc definitione Dysenteriæ, explanato ejus subjecto, & demonstratis differentiis, quoad ejus fieri potuit, ad indagandas nunc hujus morbi truculentissimi causas progredior. Omni hic jure dicere possem, me fontem harum videre inexhaustum. Certe enim, si qua res est ardua & captum humanum longe superans, omnino est indagatio specifica & recensio illarum causarum, quæ hunc adfectum pro-

ducunt. Maximam vero involvit difficultatem explicatio fermenti illius contagiosi, quod fundamentum huic malo præbet, siquidem vera constitutio singularis hujus fermenti nos adhuc latet. Hoc quidem constat & negari nequit, adesse fermentum ejusmodi peculiare, tantam in intestinis excitans acrimoniam, id quod facillime ex sequentibus conjici potest. Videmus enim, naturam sponte totum intestinorum tractum, locum illum, per quem corpus ab omni noxia & fermentativa impuritate repurgatur, hujus quoque miasmatis excretioni destinasse, siquidem per has vias, quasi per universale colatorium & emunctorium, malum a bono, inutile ab utili separatur: Prius dein ad peripheriam corporis effectum optato propellitur, & in fine ejicitur; posterius vero ad conservandum corpus insumitur. Si itaque intestina materiam fermentativam dejiciunt, necesse omnino est, ut fermentum prius tanquam causa agens ibidem adsit. Cum vero rationem & indolem specificam causarum Dysenteriae indagare & dilucide enodare haud queamus, hinc generali hoc conceptu ad interim contenti esse debemus.

§. II.

Ab hoc ergo miasmate humorum primo vehemens illa fermentatio, dein propter remoram, lentorem & visciditatem, corrosio & inflammatio, ac denique exulceratio intestinis inducitur. Hinc illud est causa immediata, vel proxima.

§. III.

Hoc vero miasma magna ex parte est compositum ex bile flava, porracea, æruginosa & atra, & ex pituita salsa atque acida, quæ pituita juxta sententiam GALENI *Lib. 3. apb. 12. it. Lib. 3. apb. 70.* a vehementi calore & æstu in capite, vel in ventre, (cui ultimo magis assentio) est producta, ibique ex putredine fælesdo excitata, quæ dein ad intestina propellitur, ubi propter remoram & lentum progressum, ac commixtionem cum aliis humoribus, fit acris & inflammationem atque exulcerationem producit. Accedit porro acidum prædominans, quod potissimum excitat fermentationem: Si quis enim
existen.

existentiam & concursum acidi ad fermentationem negare
 vellet, illi, ut ad pistorem se conferret, suaderem, ubi facili
 negotio manifesto observabit, quomodo acidum illorum fer-
 mentum, germanice *Sauer-Teig*, maximam statim fermenta-
 tionem excitet. Bilem etiam huic miasmati admistam esse,
 ex multis circumstantiis patet, siquidem id testatur 1) fluxus
 cholericus, & 2) observatio anatomica in sectionibus post
 mortem institutis. BONTIVS in cadavere demortui talis dysen-
 terici ne minimam quidem bilis portionem invenit, ejusque
 in locum vesicula fellea materia quadam chylo non ab simili
 repleta offendebatur, & PLATERVS in *Mantissa Observ.* refert,
 se permagnum abscessum circa cystidem offendisse. De la
 MONIERE in *Tr. de Fluxu dysenterico*, mulierem hoc morbo
 demortuam cultello aperuit anatomico, simulque animadver-
 tit, intestina ejusdem, duodenum nempe & jejunum, bile
 inundata fuisse. Conferatur etiam AETIVS *Tetrab. 2. serm.*
l. cap. 42. & SOLENANDER *sect. 4. consil. 9.* qui de se ipso,
 Dysenteria decumbente, scribit, se materiam bilioso-ærugino-
 sam vitellinam mucō & sanguine mixtam per alvum depo-
 sisse. Admodum quidem Ludovicus MERCATVS & alii mi-
 rantur, qui fiat, ut rodentes tales fervidi & æruginosi humores
 sæpius tantum diarrhœam, non autem Dysenteriam indu-
 cant, & talis diarrhœa ab his humoribus acerbis excitata, li-
 cet satis diu quandoque duret, tamen in Dysenteriam non
 degeneret, & è contrario a materia minus corrosiva sæpius
 Dysenteria excitetur? Huic dubio quidam satisfacere sibi per-
 suadent, provocando ad circumvolutionem intestinorum.
 Alii putant, omnes humores cum venis mesaraicis communi-
 care, & has venas ad hanc copiam retinendam minus esse
 aptas. Citatus Ludovicus MERCATVS causam non tam in
 acrimoniam humorum, sed potius in lentorem & viscidita-
 tem transfert, sub qua materia firmiter adhæreret intestinis &
 illa atroderet, cui sententia & ego quoad maximam partem
 subscribo. SENNERTO hæc omnia nondum sufficientia vi-
 dentur, unde occultam qualitatem, in humoribus latentem,
 pro causa venditat, & ex illa malignitatem contagiosam hu-
 jus

jus affectus deducere allaborat, ita quidem, ut miasmata, ex dejectionibus agrorum provenientia, in sanorum intestina penetrent huncque morbum excitent, cum propter qualitatem occultam intestinis speciatim sint inimica & adversa. Lubens equidem concedo, miasmata contagiosa in corpora se se insinuantia Dysenteriam posse producere; in quo autem consistat occulta illa qualitas, an singularis sit humorum permixtio & æqualis proportio, reperiunda vel in fermento, vel in fermentatione ipsa, hoc me adhuc latere ingenue profiteor. Certissime interim persuasus sum, quod, ubi prius nullum seminum Dysenteriae corpori infixum, vel humorem illud seminum foventem deprehendimus, ibi admodum difficulter occulta & fistulae intestinorum inimica qualitas huncce morbum excitare queat.

§. IV.

Mitto vero hanc materiam, quæ mordaci contentioni & pertinaci disputationi ansam præbet, & ex his præmissis nunc concludo, materiam, quam Dysenteria pro fundamento & causa proxima agnoscit, nihil aliud esse, quam miasma quoddam mixtum & compositum ex particulis biliosis & falso-acidis, quæ particulae, dum inter se invicem conteruntur & agitantur, primo fermentationem, dein ex stasi corrodentem acrimoniam, ac denique corrosivam exulcerationem intestinorum inducunt.

§. V.

Quoad internas antecedentes & remotas causas per se jam constat, quod omnes humores, in nostra corporis machina circulant, sint idonei, ad suscipiendum hunc corruptionis gradum, & insimul augendam copiam materiae morbificæ. Interim tamen inter modo citatos hos humores primarium locum merito obtinet humor biliosus, unde etiam Dysenteria periodum suam funestissimam magis æstivo tempore & ineunte Autumno absolvit, quam hyberno, quoniam humor biliosus non solum interno calore, sed etiam fervore solis & aëris magis semper exagitur & acrior redditur. Modum autem, quomodo hoc succedat, & morbus talis ab isto

isto

isto humore producat, sequentem mihi concipio: Primo biliosus iste humor in ventriculo, vel intestinis, vel in vesica fellea, interdum etiam in venis meseraicis generatus, ex tota substantia corporis & massa sanguinea, (uti etiam in Febribus aliàs fieri solet, unde SYDENHAMIVS hunc morbum recte *febrem ad intestina conversam* vocat,) secedit & amandatur ad intestina, ubi fit commixtio particularum biliosarum cum particulis salino-acidis, ex qua fermentatio excitatur; hanc excipit inflammatio, conjuncta corrosione intestinorum, quas in fine exulceratio sequitur.

§. VI.

Inter causas occasionales remotas primum sibi locum vindicat *Temperamentum*, & quidem inprimis *sanguineum* & *ebolericum* præ melancholico & phlegmatico; illud nimirum ob statum plethoricum, ad recipiendum tale miasma malignum magis dispositum; hoc vero ob abundantiam bilis, utpote quæ specificum tale fermentum magis exaltare ejusque acrimoniam notabiliter augere solet. Huic succedit *habitus corporis*, isque *cacoehymicus*, ob præsentem jam jam nimiam impuritatam copiam. Hinc etiam illos, qui pravus humoribus scatent, facilius Dysenteriam incurrere, jam olim notavit SENNERTVS, *Prax. med. Lib. III. Part. II. Cap. 7.*

§. VII.

Licet autem per experientiam abunde jam constet, quod Dysenteria epidemica neque annos respiciat, neque sexum, eadem tamen quoque monstrat, quod debiliora & juniora, itemque foeminini sexus subjecta, facilius atque frequentius Dysenteria corripiantur, adeoque *ætas* pariter ac *sexus* locum omnino inter has causas mereantur.

§. VIII.

Accedit his quarto *prava aëris constitutio*, cujus efficacia ad excitandam Dysenteriam vel exinde apparet, quod non nisi certo tempore, certa que sub tempestate hic morbus frequentius oriat. Sic enim HIPPOCRATES *Sect. III. Aphor. II.* scribit: *Si quidem hyems sicca & aquilonia fuerit, ver autem pluviosum & australe, æstate necesse est febres acutas fieri, & Ophthalmias.*

ias, & Dysenterias; item etiam Aphor. 12. Si vero hyems australis & pluviosa & tranquilla sit, ver autem siccum & aequilinum, - - - ceteris vero mortalibus Dysenteria & Ophthalmia sicca fiunt. Modum autem, juxta quem tunc oriatur hic morbus, ita declarat GALENVS in Comment. in Aphor. Hippocr. quod humiditates aëris nos ambientis impediunt transpirationem, vel imminutionem superflui humidi in corpore nostro detenti, adeoque ob nimiam collectionem horum humorum facile Dysenteria excitetur. Et certe, si quid est, quod nostros humores depravare potest, est sane humidus & calidus aër. Non solum vero humida & calida aëris constitutio, e. g. vernali tempore atque sub initium autumnii, provocare potest Dysenteriam, sed etiam aër calidissimus & siccus, quemadmodum id testatur SENNERTVS loc. cit. pag. 135. ubi refert, Dysenteriam crudelissimam grassatam fuisse Anno 1624. & 1637. eamque originem suam sumisse ab ardore ferventissimo solis & aestu immodico aëris calidissimi, ita, ut etiam cortices arborum fervore quasi ignito in pulverem fuerint redacti. Itaque rationi pariter ac experientiae non repugnat, quod ex aëre humido & calido, itemque ex calido & sicco, uti HIPPOCRATES Epid. com. 2. & seqq. refert, immo post praegressam frigidam humidiorumque constitutionem aëris hybernii, Dysenteria possit oriri, quemadmodum etiam aliàs in genere omnes praecipites aëris vicissitudines sunt perniciosissimae. Non lubet autem heic loci fusius mentionem facere de qualitatibus primis & occultis aëris contagiosi, vel de praedominantibus in aëre vitioso noxiis qualitatibus, quoniam abunde jam constat, quod in Dysenteria epidemica speciale quoddam miasma propagationem ejusdem per contagium imprimis promoveat, illudque adeo subtile sit, ut etiam mediante aëre huc & illuc deferri possit. Inde enim est, quod etiam nebulae, similibus impuritatibus noxiis inquinatae, & autumnali tempore decedentes, itemque Rubigo, Uredo, &c. olera frustisque horæos adeo inficiant, ut ex illorum comestione facile Dysenteria oboriatur. Tandem etiam huc referenda sunt effluvia aërorum, quæ saepius adstantibus perquam
noxia

noxia sunt, id quod etiam de excrementis dysentericorum valet, si illa in locis secretis, vel latrinis, inconsiderate effunduntur.

§. IX.

Proximiolem vero causam inter externas deprehendimus in his, quæ a nobis ore sumuntur, nempe ingestis elculentis & potulentis. Inter hæc primum utique locum occupant omnes cibi acres, flatulenti, fermentescentes, acidi & præsertim putredini obnoxii, ut sunt fructus horæi, vel autumnales, qui, quanto magis sunt immaturi & acerbi, tanto citius & facilius producant Dysenteriam. Maxime autem huc referendus est immodicus usus malorum Limoniorum, Peponum, aliorumque fructuum hortensium, maxime Anguriarum & Prunorum cereorum, siquidem in singulis his tanta abscondita latet acrimonia fermentativa, quæ facillime materiam peccantem, pro Dysenteria excitanda necessariam, producere magisque augere valet. Sic *CUSPINIANVS* Imperatorem *Albertum Austriacum & Fridericum III.* Dysenteria, ab esu nimio Limoniorum provocata, mortuos esse refert. Non minus etiam succus cucumerum expressus acrimoniam valde rodentem continet, quod vel exinde adparet, quoniam, si patinæ stannæe infunditur, & per breve temporis spatium ibi relinquitur, statim fundum ejusdem nigredine aliqua obducit & quasi arrodit, adeoque tanto facilius teneriora intestina irritare & noxiam fermentationem ibidem excitare potest. Porro etiam nimia comestio uvarum & largior musti adsumtio frequentissime diarrhœam, & interdum quoque Dysenteriam, inducunt, prout *FORESTVS Lib. XXII. obs. 3.* in Scholio cum non monstrat, solum fermentationem excitent, sed & ipsi illi fructus variis sæpe inquinamentis à nebulis, rore, & sic porro, sint conspurcata. Huc etiam referri possunt aquæ valde crudæ, de quibus *Cuspinianus de ZONARA* testatur, Imperatorem *Theophilum* potu aquæ frigidæ excitasse Dysenteriam. Sic etiam *AETIVS Tetrab. 3. serm. 1. cap. 45.* & *BACCIUS Lib. XXII. cap. 9.* aquas minerali quodam infectas accusant, quod nimium irritent intestina & facile huic morbo

C a

occa

occasionem præbeant. Acetum vel alius humor acris, in vase plumbeo vel cupreo asservatus, etiam huc spectat. Porro pertinent huc adsumta pharmaca venenata, purgantia drastica, antimonialia & mercurialia non rite præparata, item externa mala applicatio Mercurii vivi, de qua vid. *Nicolaus de MASSA Tr. de lue venerea Sect. IV. cap. 4.*

§. X.

De reliquo & hoc notandum est, quod Dysenteria non semper ex erroribus diæteticis, vel abusu fructuum horæorum proveniat, sed frequentius originem suam debeat tempestatum vicissitudinibus & mutationibus. Confirmant hoc in primis *Acta Medicor. Berolinens.* & HIPPOCRATES ipse Proavus Medicorum *Lib. III. aph. 2.* Evenit autem id ob aëris vicissitudinem ad duo extrema communiter vergentem, dum interdiu corpora hominum fervore calent, nocturno vero tempore ab aëre frigidiusculo iterum constringuntur humoresque ad interiora repelluntur; diurno enim tempore per radios propinqui solis, particulae salino-sulphureæ magis exaltantur & volatilifantur in corpore humano, & ad peripheriam corporis propellantur, tandemque à natura per insensibilem transpirationem evacuantur; noctu vero repente & quidem cum detrimento corporis fit repressio talis materiae volatilis & subtilifatae, ob vias, ejus excretioni destinatas, nunc penitus præclusas, unde illa dein ad interiora & præcipue ad intestina vergit, ibique, corruptis simul reliquis humoribus, fundamenta Dysenteriae ponit.

CAPVT V.

Signa proponit diagnostica.

§. I.

Missis nunc variis aliis hujus morbi circumstantiis historicis, ulterius procedemus in hac consideratione, & signa hujus affectus, ea qua par est industria, sedulo enarrabimus. Sunt autem ea vel diagnostica, quæ præsentem morbum denotant,

notant, vel prognostica, quæ eventum morbi prædicunt. De prioribus in hoc capite, de posterioribus autem in sequente acturi sumus.

§. II.

Signa diagnostica Dysenteria ex definitione §. VI. Cap. I. adducta facillime eliciuntur. Multa enim GALENVS recenset *Lib. 6. de loc. aff. cap. 2.* Cum his conjungitur febris, vigilia, fastidium ciborum, & alia, quæ huic morbo sunt familiaria. HIPPOCRATES quidem refert, *se dysenteriam vidisse sine febre,* vid. HOLLERIVS in *Comment. in Aph. 3. Sect. VI.* item FERNELIVS *Lib. VI. de part. morb. & sympt. cap. 4.* Maxime vero sequentia signa præsentem hunc indicant morbum, tormina nimirum & inexplicabiles dolores lancinantes ventris, sæpius iterata & statim post tormina contingens dejectio pituitosa & cruenta, concomitans tenesmus, qui non raro procidentiam ani inducit & febris acuta. Si vero huic morbo jungatur sitis perpetua, singultus, vomituritiones, lipothymia, convulsiones interpositæ, angina, exulceratio ani, foetor excrementorum cadaverosus, excrementa varii coloris, hæc indicant summe malignam Dysenteriam, lethali plerumque exitu se se terminantem.

§. III.

Signa causarum potissimum ex fecum coloribus desumuntur, & his adnumerantur quædam certa indicia illius abundantis & peccantis humoris in corpore humano, quæ tamen etiam Temperamento, anni tempori, vel vitæ generi adscribuntur.

§. IV.

Quæ vero intestina, num tenuia an crassa, male afficiantur, admodum difficulter demonstrari potest. Nam signa hujus inflammationis specifica etiam in aliis morbis, ut Ileo, Volvulo &c. occurrunt. Dicitur quidem, quod, si dolor supra regionem umbilici, nempe in regione epigastica magis sentiatur, tunc tenuia inprimis afficiantur intestina; si vero dolor infra regionem umbilici, nempe in hypogastrio, se se exserat, tunc crassa potius infestentur. Quantum autem hoc

signum valeat, ipsius B. L. iudicio relinquo, siquidem omnibus constat, intestina tenuia a complexu coli, crassi nempe istius intestini, in peripheria contineri, & sic tenuia à crassis sunt circumdata, & in medio horum posita. Melior mihi illorum sententia videtur, qui non tam è loco affecto, quam ex qualitate doloris, signa desumenda esse specifica, quoad dijudicationem intestini, autumant: Nam si dolor est acutissimus, ita, ut agrotantes conquerantur, illum esse lancinantem, & punctorium, tunc certe intestina tenuia potius laborant, quoniam illa ex membranis nerveis, mirifice inter se textis sunt composita, & hinc sensu exquisitissimo simul prædita, quemadmodum etiam tunc excretio non statim post tormina & prægressos dolores succedit, ob longiorem viam per quam excrementa transire debent. Si vero in intestinis crassis materia morbifica hæret, tunc dolor non est adeo acutus, quoniam ea superficiem internam magis carnosam habent, & hinc non adeo exquisito sensu afficiuntur, materia etiam propter viæ brevitatem, sub quacunque exacerbatione torminum & cruciatuum ventris, statim ejicitur, nec ullæ eidem admixtæ sunt feces. Quale vero intestinum, an jejunum, ileumve &c. sub hoc morbo specialissime afficiatur, vix determinari potest, nisi quod, si dolor fuerit vehementissimus, lancinans & punctorius, excrementa appareant cruda, vel miscela sanguinis nigri coloris & flavæ bilis adest, cum nausea, fastidio ciborum, vomitu, linguæ ariditate, vigiliis & febre acuta, tunc quidam locum affectum constituere intestinum jejunum autumant; vid. AETIVS *Tetrab. serm. I. cap. 43.*

§. V.

Superfunt adhuc signa temporum diagnostica, paucis subjungenda, quæ in primis à cruditatibus materiæ ejectæ desumuntur. Principium vel accessio statuitur, si excrementa fiunt fluidora & nihil vel parum sanguinis admixti ostendunt, cum conjunctis torminibus jam jam se exferentibus. Si vero signa in excrementis declarant, exulcerationem factam esse plenariam, quod ex materia emissa purulenta cognosci potest, tunc morbus in augmento est constitutus: si
dein

dein omnia symptomata ad summum vehementiæ gradum
 pertingunt, tunc dicitur status morbi. Tandem declinatio
 est, si dejectiones paulatim ad naturalem conditionem ver-
 gunt & imminuantur, simulque appetitus redire incipit. Re-
 liqua in antecedentibus capitibus jam tacta fuerunt.

CAPVT VI

Prognostica signa exhibet.

§. I.

Sicuti in quolibet morbo signa quædam occurrunt, ex quo-
 rum contemplatione vel sanitatis recuperationem, vel
 exitum omnibus mortalibus communem, scilicet mortem,
 vel transmutationem & inversionem in aliam morbi speciem
 hariolari possumus; ita etiam in dysenteria tria hæc obser-
 vanda occurrunt, circa quæ tamen prius notandum est, se-
 nes atque pueros sæpius huic morbo succumbere, quam il-
 los, qui media ætate sunt constituti, etsi horum status mor-
 bosus periculo itidem haud destituatur. Confirmat hoc
 HIPPOCRATES 2. prognost. § aph. 46. sect. VI. Senes plerumque
 vitam deponunt ex defectu virium, pueri vero ob delicatam mellit-
 tiem.

§. II.

Spem itaque restitutionis relinquunt hæc signa: 1) Si
 dysenteria a flava bile, vel ab acrioribus cibis fermentativis
 assumtis fuerit producta; 2) Si vires adhuc supersunt va-
 lidæ, appetitus non plenarie prostratus, febris levior & mi-
 tior, excoariatio intestinorum non adhuc magna, & dejectio-
 nes rariores atque pauciores. Hæc confirmans decumben-
 tem feliciter esse evasurum. 3) Dejectiones substantiæ mu-
 cosæ. 4) Diuturno intestinorum fluxui ructus acidus acce-
 dens, qui prius non fuit, bona prænunciat. 5) Podagricis
 & Lienosis dysenteria cruenta superveniens maximum ad-
 fert levamen.

§. III.

Signa inversionem & mutationem in alium morbosum
 statum

statum indicantia, hæc sunt: 1) Dysenteriam diutius duran-
tem facile excipit Cachexia & Hydrops, & quidem ex defe-
ctu sanguinis debite depurati. 2) Lienteria etiam huic ma-
lo, si admodum chronicum illud fuerit, facile succedit. Hæc
omnia vero mala ex destructo tono glandularum in intesti-
nis sitarum & deficiente calore naturali proveniunt. Vid.
WEDDELIVS in *Aphor. Aphorismor. Sect. VI. Aph. 43. pag. 295.*

§. IV.

Tandem sequentia signa inprimis mortem præfagiunt:
1) Si tenuia magis adfecta sunt intestina, tunc propter ma-
gnam sensibilitatem & inflammationem atque viciniam He-
patis, exitus est anceps. vid. BAGLIVIVS *Prax. med. Lib. I. p. 74.*
2) Quo major est numerus symptomatum, eo majus est pe-
riculum. 3) A fluxu sanguinis puri & floridi mediocri, ægri
incipiti premuntur periculo. Si vero ille fluxus est immodi-
cus, testante SYDENHAMIO, mortem infert. 4) Si caruncu-
læ cum excrementis prodeunt, est signum lethale. 5) Fune-
stum eventum denotant linguæ ariditas, summa inflamma-
tio, summa deglutiendi difficultas, angina periculosissima, sin-
gultu, vomitu, deliriis, Aphthis, subsultibus tendinum &
convulsionibus stipata. 6) Præsentissimam vero mortem
digito monstrat gangræna & sphacelus, tuncque prodeunt
excrementa viridia, nigri coloris, foetorem intolerabilem &
cadaverosum spargentia, adest singultus & facies apparet ca-
daverosa, omnesque extremitates frigent. Plura videantur
apud HIPPOCRATEM *Sect. IV. Aph. 23. & 24. itemque SEN-
NERTVM Lib. III. Prax. Sect. II. cap. 7. & FERNELIVM univers.
Med. Patholog. Lib. VI. cap. 4. pag. 524. Edit. in folio.*

CAPVT VII.

Curationem Dysenteriaë sistit.

§. I.

Quoniam truculentum hocce malum minime specioso &
magno verborum solatii plenorum apparatu mitigatur,
multo

multo minus profligatur, sed unice medicamenta ad rem facientia requiruntur, hinc pro felici obtinenda ejus curatione, ad duas indicationes quam maxime respiciendum erit: 1) Ut tempestive statim materia corrupta, crassa, caustica & ardens contemperetur & mitissime & blande ex intestinis educatur. 2) Ut materia relicta corrumpens, cujus essentiam subtilis fermentativus specificus vigor constituit, corrigatur & eliminetur, ac tormina & feroces spasmi sopiantur. Quo vero felici successu & debito ordine singula hæc peragantur, nostrum est, tam consiliis, quam experientiâ probatissimis remediis ægrotis succurrere. Consilia ex fonte diætetico desumuntur, & in usu legitimo ac bene ordinato sex rerum non-naturalium consistunt.

§. II.

Aër itaque humidus & frigidus sedulo est evitandus, siquidem frigus corpori admissum, morbum facit deteriore. Hanc ob causam WEDELIVS in suis *Aphorismis Aphorismor. Lib. VII. Aph. 59.* dicit: *In humidioribus siccantia indirecte & directe sunt applicanda;* Quid vero aër modice calidus est aliud, quam siccans indirectum? At vero nimium calorem sedulo fugiamus necesse est, neque ægrotus impositione multarum stragularum, foco calido, & aliis rebus calorem immodicum excitantibus, excrucietur, imprimis, si insimul febre urgeatur acuta. Immodicus enim calor & fervor vehementem excitat sudorem, qui dein certissime prostrationem virium lethalem post se trahit, id quod etiam in omnibus morbis acutis ita evenit. Hinc ergo succurrendum est ægro tibialibus, lateribus calidis, regio etiam epigastrica & umbilicalis linteis calidis blande fovenda, quoniam hæc certissime dolorem demulcent & leniunt. His etiam jungatur fofus ex aqua calida paratus, ita, ut vapor ejus ad intestinum rectum penetret, suadendo simul, ut æger quantum possibile fuerit, in lecto se detineat.

§. III.

Quod attinet ingesta, cibum nempe atque potum, tunc, si ægrotus aliquali adhuc gaudeat appetitu, omnium maxime
D qua-

quælibet acria, salsa, acida, fermentescentia, & flatulenta alimenta sunt evitanda; simpliciora vero & evpepta præ aliis eligantur & commendentur, videlicet juscula hordeacea, ptisana avenacea, item juscula ex pane albo in vino cocto, addito butyro & vitellis ovorum, inprimis ubi febris acuta ægros non valde adfligit. Porro laudantur fructus Cynosbati, Cerasa acida sicca, Myrtilli, Oryza, Amylum, &c. ægros tamen admonitos esse velim, ne prius his cibis vescantur, quam materia peccans fuerit evacuata. Concedi etiam potest usus lactis, nisi febris, vel aliud quoddam symptoma, eundem prohibeat. HELLWIGIVS in *Lexico pharm.* refert, se Dysenteriam hac methodo simplici feliciter curasse, nempe ægro matutino & vespertino tempore exhibuit lactis recenter mulsi ℥ss. idque continuavit per aliquod tempus, & usum ciborum ac aliorum potulentorum illi interdixit. SERAPIVS, inprimis si morbus protrahatur, ad restaurandas vires commendat carnes perdicam, turdorum, gallinarum, leporis, capreoli, cervi &c. Omnes pinguedines pariter conducunt, inprimis vero vervecina, quæ optimum præbet demulcens & leniens. Panis sit bis coctus & albus. Cibi multis aromatis sint conditi, nisi ubi febris acuta conjuncta fuerit, quo in casu aromatica omnia omittenda sunt. Potus sit temperatus & ab omni fermentatione alienus, ideoque statim in principio cerevisia est removenda, cujus loco gelatinosum decoctum tepide exhibeatur, item Emulsiones, ex Amygdalis & Sem. Papay. albi, ut & aliis temperantibus paratæ. Parcius tamen his utendum est, quia major fermentatio inde semper est metuenda. Ubi vires deficient, vinum chalybeatum concedi potest, præsuppositis tamen præsupponendis. Quo parcius autem bibunt, eo melius semper se habent. Quies maxime utilis & necessaria est, quoniam motu fluxus magis magisque irritatur & corpus sub eo frigori exponitur.

§. IV.

Eandem ob rationem æger etiam indulgeat somno, siquidem quiete & somno dolores atroces sopiuntur, & vires restaurantur, itemque frigus a corpore arceatur.

§. V.

§. V.

Excrementa ægrotantium statim removeri debent, ne ipsis & adstantibus molestiam creent, & per effluvia cadaverosa novum quoddam contagium excitent, unde vel defodienda sunt in terram, superposita calce viva; vel in aquam fluvialem projicienda.

§. VI.

Evitentur porro pathemata animi ægerque in tranquillitate conservetur, ne ab excitatis illis humores magis commoveantur & perturbentur, & ita affluxus materiæ augeatur. Inprimis autem præter iracundiam quoque terrorem atque mœrorem quovis modo arcere convenit, quoniam per experientiam abunde jam constat, quam multa atque gravia inde exsurgant symptomata.

§. VII.

Quoad remedia ex fonte chirurgico desumpta primo statim quæstio movetur: An Venæsectio in Dysenteria sit necessaria, an vero omnittenda? Sudent utique eandem complures doctissimi viri, in primo statim accessu morbi, quando vires sufficientes adhuc adsunt. Sic VALESCVS de TARANTA & AMATVS Lusitanus perhibent, se missione sanguinis Dysenteriam, per trimestre tempus durantem, felici curasse eventu & BOERHAVIVS in *Aphor. de cognosc. & curand. morb.* scribit: In omni inflammatione intestinorum statim tentanda sanatio, quæ acquiritur missione larga & repetita sanguinis. Itaque absque ulla aliqua noxa sanguis potest detrahi, inprimis, si Plethora urgens & turgens simul concurrat, & consueta alias V. S. hætenus omissa fuerit. Quantitatem vero sanguinis emittendi accurate determinare nostrum non est, sufficit, si neque copiose nimis, neque etiam confertim, sed potius paulatim per vices sanguis hac ratione imminuatur. Similiter quoque locus specialis pro incidenda vena non est eligendus, quin potius perinde erit, sive in brachio, sive in pede, pro conditione subjecti & reliquarum circumstantiarum, illa instituatur. Si vero ægrotus ante id tempus

hæmorrhoidibus laboraverit, talesque nunc vel obstructæ, vel cœcæ fuerint, tunc in pede inprimis illa instituenda erit.

§. VIII.

Venæsectioni subjungimus Clysterum injectionem sæpius iteratam, & quidem in principio lenientium, demulcentium & abstergentium sine Ele, quo nimirum dolor mitigetur & materia acris non solum quadantenus corrigatur, sed etiam commodius simul educatur, imo, si necessitas postulaverit, ipsa etiam intestina, conjunctis tonicis roborentur, & excretio ipsa moderetur. Clysteres lenientes parantur vel ex solo lacte, vel cum aliis decocto, e. g. Rad. Alth. Lil. alb. Herb. & fl. Malv. Verbasc. Violar. Chamom. Papav. rhead. Sem. Lini, fœnu græc. additis Vitell. ovar. ol. Amygd. d., ol. Oliv. & Lini recenter expressis, hunc circiter in modum: R. Rad. Altheæ ℥j. Flor. Verbasc. Malv. arborese. Papav. rhead. aa. Mj. Flor. Violar. Mß Sem. Lini, Fœn. græc. aa. ℥iij. M. coqu. in s. q. Lact. R. Colat. ℥xij. add. Vitell. ovar. No. j. ol. Amygdal. d. ℥ij. F. Enema. S. Schmerzlinderndes Clystier. Detergentes vero componuntur ex decocto Hordei, Furfurum, Herb. Saponar. Lichnid. Fl. rosar. Saccharo Thomæo, Melle rosaceo, & lacte caprino. Exemplum formulæ sit sequens: R. Fl. rosar. r. Mj. coqu. in decocto Furfur. q. s. R. Colaturæ ℥ij. dissolve in ea Sacchar. Thom. ℥vj. M. F. Enema, S. Reinigendes Clystier. Glutinantes Clysteres præparantur ex Sebo hircino, vervecino & aliis, addito Amylo, item ex jusculo cancrorum fluviatilium, Vitellis ovarum, Gummatibus Tragacanth. Arab., Thure, Mastiche, Myrrha &c. e. g. R. Herb. Pilocell. Mß. coqu. in s. q. Lact. à sero depur. Colatur. Rec. ℥ij. dissolv. in ea Sebi hircin. vel vervec. ℥j. Gumm. arab. ℥iij. Vitell. ovar. No. j. M. F. Enema, S. Gelinde anhaltendes Clystier. Ii vero Clysteres, qui sub titulo adstringentium comprehenduntur, potissimum ex classe vulnerariorum parari solent, e. g. Rad. Bistorc. Consolid. maj. Filicis, Oxylapath, Tormentill. Herb. & Fol. Agrimon. Bugul. Cupress. Hyssop. Hyper. Equiset. Pimpin. sanguisorb. Flor. Granat. Rosar. r. Hyper. &c. Exemplum

plum ejusmodi Enematis sequens esse potest: \mathfrak{R} . Rad Bistort. Consolid. maj. aa. \mathfrak{z} vj. Herb. Equiset. Fol. Plantag. aa. Mj. Flor. rosar. r. Hyper. aa. M \mathfrak{b} . Myrtill. \mathfrak{z} ij. Coqu. in \mathfrak{V} ont. q. s. Colat. Rec. \mathfrak{H} j. dissolve in ea Mellis \mathfrak{z} j. add. album ovi No. j. Gumm. Sarcocollæ solut. \mathfrak{z} iß. F. Enema. S. anhaltendes und stillendes Clystier. Cæterum de glutinantibus & adstringentibus Clysteribus adhuc notandum est, quod non admodum frequenter in usum vocandi, & detergentes interim omittendi sint, quoniam illi lentore suo materiam acrem & rodentem obducunt, & intestinis quasi agglutinant, adeoque affectum ipsum magis exasperant, quam mitigant.

§. IX.

Tandem progredior ad ea medicamenta, quæ ex fonte pharmaceutico desumuntur, utque nunc primæ indicationi satis fiat, merito etiam primo loco commendanda sunt blande evacuantia. Quantum enim auxilii pro hoc adfectu illa adferant, neminem fugit, qui modo ad regulam istam attendit, quod remota causa, removeatur quoque effectus. Cavendum tamen est, ne talis evacuatio suscipiatur per purgantia fortiora, resinosa, aloetica, salina, vel etiam laxantia dulcia, decocta nempe Prunorum, Tamarind. Passul. min. &c. quoniam illa omnia Dysenteriam magis exasperant, quam mitigant, quemadmodum id exacte satis monstrat celeberr. FASCHIVS in Disput. de Dysenteria, An. 1684. Jenæ habita, his verbis: *Cum certum sit & inconcussum, Dysenteriam nil aliud esse, quam hypercatharsin spontaneam & a causa interna promotam; Hinc uti in hypercatharsi non facile aliquis suadebit purgantia, ita nec in Dysenteria id faciet, cum longe tutiora present.*

§. X.

Pari etiam modo non semper emetica pro hoc scopo requiruntur: Si enim illa sunt drastica, tunc tormina pariter ac affluxum humorum impurorum augent, ob irritationem, quam excitant, vires dein agrotantium debilitant, nec tamen fomitem mali, utpote magis in intestinis, quam in ventriculo hærentem, semper tollunt. Commendatur equidem
D 3
quam

quam maxime & sub titulo specifici remedii summopere de-
 prædicatur radix Ipecacuanhæ, nec etiam contemnenda est,
 dummodo illa vera, recensque, ac insuper primis statim die-
 bus, quando nondum plenarie ad intestinorum canalem
 transit miasma istud, adhibita fuerit: Serius enim adhibita
 nullum non solum levamen adfert, sed etiam morbum ipsum
 magis adhuc exasperare potest. Meliorem vero certio-
 remque opem adferunt laxantia & purgantia lenissima, e. g.
 Pil. balsam. Beccheri it. Stahlii legit. correctæ, nec non Rha-
 barb. Orient. in pulvere, inprimis cum absorbente simplici
 adhibitum, utpote quod non solum propter particulas Θ ino-
 Areas cum ∇ reis & limosis remixtas, alvum lenissime sub-
 ducit, sed etiam leniter adstringit. Hinc formulæ possunt
 esse sequentes: \mathcal{R} . MP. bals. Becch. legit. correct. \mathfrak{z} j. M. F.
 Pil. ex \mathfrak{z} j. No. xx. S. pro dosi 20. Stück bey dem Schlafens-
 gehen zu nehmen. \mathcal{R} . Rhabarb. Or. pulverisat. \mathfrak{z} j. Ebor. s.
 ∇ e ppt. \mathfrak{z} j. M. S. Laxier-Pulver auf einmahl frühe zu neh-
 men. \mathcal{R} . Rhab. Or. \mathfrak{z} ij. Flor. Ros. r. Mß. infund. cum s. q.
 feri lactis depurat. Colaturæ adde Syr. Rosar. sicc. \mathfrak{z} vj. M.
 D. S. Purgier-Träncklein auf einmahl zu nehmen. Omni-
 bus vero his dictis MP. balsam. Becch. palmam præripit. De
 reliquo & hoc negare non possum, me per experientiam
 edoctum fuisse, quod & Rad. Jalappæ satis efficax & egre-
 gium remedium constituat in Dysenteria, ab acido prædomi-
 nante inducta, si nempe illa non admodum resinosa fuerit
 substantiæ, febremque mitiorem saltem, nec admodum acu-
 tam conjunctam habuerit; tunc enim non solum materiam
 peccantem, si prudenter exhibeatur, admodum secure eli-
 minat, sed &, propter latitantes particulas ∇ eas, simul
 blandam tonicam & roborantem virtutem post se relinque-
 re solet.

§. XI.

Quod si nunc alteri indicationi satisfieri debet, utique
 ante omnia decursus febris legitime est respiciendus. Nam
 alvi fluxus cum reliquis symptomatibus cessat, si acrimoniam
 fermentescentem in primis viis & in massa sanguinea obtun-
 dimus

dimus & leniter abstergimus, positivam vero excretionem magis ad peripheriam corporis dirigimus, ut affluxus serosus & acris ab intestinis avocetur, & ad superficiem corporis nostri invitetur, & exinde sub forma halituosæ excretionis eliminetur. Hinc legitime adhibitis his laxantibus subjungimus dein teneriora absorbentia, temperantia, diapnoica, imo & lenia diaphoretica, siquidem hæc fluxum dyentericum quoque mitigant per imminutionem & excretionem superflui humoris ipsiusque miasmatis maligni, mediante transpiratione insensibili quadantenus aucta. Talia autem sunt Conch. ppt. Ocul. \mathfrak{S} . Mat. perl. ppt. C. C. ust. & philos. ppt. Crystall. mont. ppt. $\frac{1}{2}$ diaph. cum pauxillo Otri & pulvere Cort. Chaccarill. & \mathfrak{Z} ri remixtum, quoniam Nitrum non solum efficaciam leniendi spasmos, sed etiam insultus febriles temperandi & æstum mitigandi habet, pulvis vero Chaccarillæ, tanquam lene & blandum discutiens ac sedans, contractionem intestinorum spasmodicam demulcet & affluxum humorum acrium inhibet. His pulveribus admisceri quoque possunt ∇ æ destillatæ, e. g. ∇ Card. ben. Cichor. Ceras. nigr. Scabios. Scordii, Scorzon. Fl. Acac. Galegæ, Tiliæ, &c. quemadmodum etiam conveniunt Essentiæ temperatæ diapnoicæ e. g. Ess. alexiph. Stahl. Pimpinell. alb. Vinetox. Scordii, itemque Decocta ex Hordeo, Rasur. C. C. Rad. Cichor. Saffaparill. Scorzoner. &c. utpote quæ non solum materiam acriorem diluunt, sed etiam diapnoen vel sudorem levem concitant. Formulæ ergo possunt esse sequentes: \mathfrak{R} . Conch. s. Δ e ppt. \mathfrak{Z} iv. $\frac{1}{2}$ diaph. Crystall. mont. ppt. \bigcirc depur. aa. \mathfrak{Z} ij. M. F. Pulv. divid. in viij. partes æquales. S. Dämpfende Pulver. Item: \mathfrak{R} . $\frac{1}{2}$ ii diaph. Matr. perl. ppt. Ocul. \mathfrak{S} ppt. aa. \mathfrak{Z} ij. C. C. philos. ppt. \bigcirc depur. aa. \mathfrak{Z} o. add ∇ Fl. Acac. Tiliæ, scabios. aa. \mathfrak{Z} ij. Rad. Scorzoner. \mathfrak{Z} iß. M. F. Potio S. Temperirendes Stärck = Träncklein. Item: \mathfrak{R} . Ess Scordii, Pimpinell alb. aa. \mathfrak{Z} j. M. D. ad Vittr. S. Resolvirende Essenz. Item: \mathfrak{R} . Rad. Cichor. Scorzoner. aa. \mathfrak{Z} io. Saffaparill. Rasur. C. C. aa. \mathfrak{Z} vj. incis. & contus. infand. ∇ æ Mens. iv. coqu. usque ad casum Mens. i. S. pro potu

potu haustus saepius sumendus. PENOTVS sequens Deco-
ctum in omnibus dysentericis desperatissimis morbis laudat:
℞. Cort. Guajac. contrit. ℥ij. bulliant in s. q. aquæ ad med.
cui impone Fl. Rosar. r. Balauſt. Sem. Plantag. aa. ℥ij. bulliant
rursum per horam, deinde colatur. add. Rhab. pulverisat. ℥j.
Extr. Catholic. ℥iij. M. F. Potio.

§. XI.

Si vero morbus omnia hæc absorbentia, temperantia
& abstergentia respuit, tunc lenissima sedantia, moderantia,
incrassantia & subadstringentia, caute tamen, ægro sunt por-
rigenda, e. g. MP. de Cynoglossa gr. j. Liquor Anodyn. Hoff-
mann. Spec. de Hyacintho, Corall. r. ppt. Extr. Cascarill.
Cinnabarina, Martialia, ut Croc. ♂t. ½ iat. Stahl. &c. quæ in
sequentibus formulis ordinari possunt: ℞. Corall. r. ppt. Cort.
Cascarill. Spec. de Hyacintho, ℥is optim. aa. ℥j. MP. de Cy-
noglossa gr. vj. M. divid. in vi. partes æquales. S. beruhigende
Pulver. Formula pulveris incrassantis hæc esto: ℞. Lapid.
☉. Gum. Arab. aa. ℥j. Terr. sigill. r. ℥j. M. divid. in vij. par-
tes æquales. D. S. Gelinde anhaltende Pulver. Sub titulo
vero listentium & subadstringentium sequentes commenda-
mus formulas: ℞. pulveris Cort. Cascar. Crystall. mont. ppt.
aa. ℥j. Croc. ♂t. aper. Stahl. N. M. ppt. aa. ℥β. M. divid. in
IV. partes æquales S. Anhaltende und stillende Pulver. In
forma pilularum ℞. pulver. Cort. Cascarill. ℥β. Extr. Cascarill.
Tormentil. Cinnam. aa gr. vj. MP. de Cynoglossa gr. ij. M.
F. pil. No. XX. pro dosi, S. Anhaltende Ruhe-Pillen. Vel
harum pilularum loco sit Electuarium sequens: ℞. Rob Ju-
niper. Theriac. concentr. aa. ℥iij. Cort. Cascarill. pulverisat.
℥iβ. c. Syr. Cydon. q. s. M. F. Electuarium ad nucis Mosch.
magnitudinem singulis bihoriis methodice exhibendum.
Theriacalia etiam interdum salutarem præstant effectum, v. g.
℞. Corall. r. ppt. ℥β. pulveris dysenter. M. ℥j. Theriac. cœlest.
gr. vj. M. divid. in 2. partes æquales S. Stärck- und Ruhe-
Pülverlein. Item: ℞. Diascord. Fracastor. ℥β. pulveris è
Chelis ☉. compos. gr. X. Lap. bez. Or. gr. ij. M. S. Köstlic-
hes bezoar Bislein.

§. XII.

§. XIII.

Plura remedia in omnibus Practicorum libris extant, unde ad finem tendo. Antequam vero id fiat, placet adhuc specificum quoddam pro pueris Dysenteria laborantibus subjungere, cujus modus præparandi hic est: \mathcal{R} . Eff castor. opt. \mathcal{q} v. præcipita cum \mathcal{M} copiam particularum albissimarum, quarum $\mathcal{ʒj}$. pueris exhiberi potest in vehiculo huic morbo conveniente. De Opio autem & usu lactis chalybeati multa quidem adhuc addi possent, ob temporis vero & chartæ angustiam brevibus saltem ea attingam. SENNERTVS in Praxi sua med. expresse dicit, Opiatis non utendum esse, nisi dolor valde urgeat, & non nisi in corpore delicato. Sic quoque ZWELFFERVS in *Pharmacop. Reg. Class. XIV. pag. 155.* testatur, parvam dosin Opii lethalem esse. WILLISIVS vero Opium summis effert laudibus, & dicit, se nullum dysentericum affectum sine eo curatum vidisse, contrarius tamen iterum est MINADOVS PATAVINVS, quem allegat Illustr. HOFMANNVS *Method. med. Lib. I. cap. 4. pag. 22.* dum nimirum se observasse refert, quod omnes illi dysenterici, qui ex consilio Medicorum opiata adsumserunt, mortui fuerint, quoniam ulcera intestinorum per usum Opiatorum redderentur magis sordida & putrida. Quod vero usum lactis chalybeati attinet, secundum sententiam SENNERTI & aliorum Practicorum, ille circumspecte & observatis simul reliquis circumstantiis ægro permitti potest, id quod prudentiæ & judicio cujuslibet Medici relinquatur.

§. XIV.

Superest nunc, ut paucis etiam illius Dysenterix mentionem injiciam, quæ ante biennium ex peculiari causa in ditione quadam Voigtlandiæ grassata fuit, simulque methodum subjungam, qua illam feliciter in compluribus ægrotantibus profligavi. Erat scilicet Annus 1742. & 1743, cum in quibusdam regionibus Voigtlandiæ, & præprimis in illis, quæ sub potestate Comitum Ruthenorum, in vicinia urbium Greizæ & Schleizæ, sunt sitæ, nempe in pagis Arnsgrün, Bernsgrün, Thierbach, Ranspach &c. permultos incolarum invaderet.

E

deret.

deret. Variis quidem & copiosis, non tamen admodum periculosis symptomatibus stipata incedebat, & pro causa habebat saburram quandam specificam acidam. Ex contagio enim aëris ortum nequaquam sumserat, quia particularis erat, & quidem in territorio non admodum late diffuso, neque alibi, quam in prædictis locis sæviebat. Fructuum etiam horæorum copiosior adsumtio nequaquam in causa erat, ob insignem defectum & penuriam illorum tunc observatum, adeoque potius nimia & insolita ingurgitatio Lactucæ, cum acerrimo aceto remixtæ, quæ in primis ruricolis frequentissima esse solet, fundamentum primarium huic morbo posuit. Methodus autem, qua eidem medebar, in sequentibus consistebat. Primo exhibebam tale purgans: ꝛ. Pulveris rad. Gialapp. non resin. ℥ij. usque ad ʒj. D. S. auf einmahl frühe zu nehmen. (Notandum hic statim est, incolas hujus provinciæ esse robustioris constitutionis, quam quidem reliqui sunt Saxones, ita ut semper in purgantibus fere dosis duplicata iisdem porrigi debeat, unde hanc insolitam & majorem dosin nemo mirabitur.) Hoc purgans brevi tempore in quantitate satis notabili materiam acidam, nidorosam & pituitosam expellebat. Tunc circa meridiem & vespeream ejusdem diei sequens stomachicum ex vino veterano (si febris non admodum urgebat, idque contra-indicabat,) porrigi curavi: ꝛ. Ess. aromat. Cent. min. Scord. Card. bened. aa. ʒij. M. D. ad Vit. S. 60. bis 80. Tropfen auf einmahl zu nehmen. Hora secunda vero & sexta pomeridiana absorbentem & subadstringentem sequentem pulverem præscribebam. ꝛ. Lap. Hamat. ppt. Croc. ꝛt. ʒiat. Stahl. Crystall. mont ppt. Conch. ppt. aa. ʒß. M. S. auf einmahl eine starke Messer-Spize voll zu nehmen. Potus ordinarius erat infusum ex Theè boy, quod calide hauriebatur. Ægroti hancce methodum stricte observantes, intra triduum plerumque reconvalecebant, ita, ut ex immenso illo decumbentium numero unus saltem, a patre suo neglectus, debitum solveret naturæ. Certe me non fugit, quod permulti hancce methodum nequaquam sint adprobaturi; cum vero experientia

tia

tia & eventus eandem confirmaverint, facile inde apparebit,
quod apud Variscos, hoc est, homines perquam robustos, et-
iam valida robusta adhibenda fuerint remedia. Hæc ergo
sufficiant pro præsentis hoc nostro scopo. Deo autem T. O. M.
pro præstito huc usque auxilio sit Laus, Honor
& Gloria.

F I N I S.

Læta parant homines, mœrenda Jehova repellit,
Pro læta Musis panditur hæcce dies:
Qua de pollentem solidæ splendoribus artis,
Inter DOCTORES docta Camœna refert:
Gaudeo, quod studium mihi compensarit Jehova,
Quod mea nunc peperit provida cura TIBI.
Ars Tua quam præstans cupiat penetrare latentes
Sensus, TIPPOLDI, Pieridumque decus!
Ex cuncta reddat Numen TE parte beatum,
Nec desit magnus prosperitatis apex.

His

Discipulo quondam suo & filio curæ
applaudis

J. M. G.

Sic hodierna dies TIBI nunc decernit honores,
Nobile TIPPOLDI, Pieridumque Decus!
Inclyta TIPPOLDI debetur gloria fronti,
Jure beat doctum dexter Apollo Virum.
Egregii Patriæ Cives, & splendida Phœbi
Lumina jure suo tanta brabæa ferunt.
Hinc neque demirror, Te quod Latonia proles,
Doctorem faciat, frater amande mihi!

Talia

Talia commeruit dudum donaria Virtus,
 Talia commeruit sedulitasque Tua.
 Pectore sæpe meo fundebam & gutture voces,
 TIPPOLD Doctorum sede locandus erit:
 Quod mihi præfagit quondam mens provida Vati,
 Hoc probat eventu lux hodierna suo;
 Scilicet ætherius tribuit TIBI Nomen Apollo,
 Et TE DOCTOREM plebsque Camœna vocat.
 Alter Discorides, Diocles, Theonque Galenus
 Sis sapiens, doctus, semper in urbe Tua,
 Multorum relevas morosis corpora morbis
 Confundas docta Pharmaca sana manu.

His

Patrueli & Fratri suo dilectissimo, cum sum-
 mum industriz & operæ honorem esset
 accepturus, fausta precatur

C. G. GRÜBLERVS,
 Candid. S. S. Ministerii.

